AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS
Göttweig (?), 12. Jh. Seite 104r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



nes eorum et noui quid ex quo sensu corporis impressum
sit mihi. sed non ea sola gestat inmensa ista capacitas
memorie mee. Hic sunt et illa omnia. que de doctrinis
liberalibus percepta nondum exciderunt. quasi remota inte
riore loco non loco. nec eorum imagines. sed res ipsas gero.
Nam quid sit litteratura. quid peritia disputandi. quot
genera questionum. quicquid horum scio sic est in memo
ria mea ut non retenta imaginei rem. foris reliquerim
aut sonuerit. et preterierit sicut uox impressa per aures. uesti
gio que recoleretur quasi sonaret. cum iam non personaret. aut sicut
odor dum transit. et euanescit inuentos. ol factum afficit.
unde traicit in memoriam imaginem sui. quam reminiscen
do repetamus. aut sicut cybus qui certe inuentre iam non sapit.
et tamen in memoria quasi sapit. aut siquid aliud quod cor
pore tangendo sentitur. quod et iam separatum a nobis imaginatur
memoria. Iste quippe res non intro mittuntur ad eam. sed
earum sole imagines mira celeritate capiuntur. et miris
tamquam cellis reponuntur. et mirabiliter recordando proferuntur.
At uero cum audio trina genera esse questionum. an sit.
quid sit. quale sit. sonorum. quidem quibus hec uerba con
fecta sunt imagines teneo. et eos per auras cum strepitu tran
sisse ac iam non esse scio. res uero ipsas que illis significantur
sonis neque ullo sensu corporis attigi. neque uspiam
uidi preter animum meum. et in memoria recondidi
non imagines earum sed ipsas. que unde ad me intrauerint.
dicam si possum. nam percurro ad ianuas omnes carnis
mee. nec inuenio qua earum ingresse sint. Quippe ocu
li dicunt si colorate sunt. nos eas nuntiauimus. aures dicunt
si sonuerunt. a nobis indicate sunt. Nares dicunt si oluerunt.